

Version latine n°4 : fais-moi mal

En connaisseur, le poète vante les mérites d'amours houleuses...

Dulcis ad hesternas fuerat mihi rixa lucernas,

 uocis et insanae tot maledicta tuae.

Tu uero nostros audax inuade capillos

 et mea formosis unguibus ora nota,

tu minitare oculos subiecta exurere flamma,

 fac mea rescisso pectora nuda sinu !

Cum furibunda mero mensam propellis et in me

 proicis insana cymbia plena manu,

nimirum ueri dantur mihi signa caloris :

 nam sine amore graui femina nulla dolet.

Quae mulier rabida iactat conuicia lingua,

 haec Veneris magnae uoluitur ante pedes.

Custodum grege seu circa se stipat euntem,

 seu sequitur medias, maenas ut icta, uias,

seu timidam crebro dementia somnia terrent,

 seu miseram in tabula picta puella mouet,

his ego tormentis animi sum uerus haruspex,

 has didici certo saepe in amore notas.

Non est certa fides, quam non in iurgia uertas :

 hostibus eueniat lenta puella meis.

In morso aequales uideant mea uulnera collo :

 me doceat liuor mecum habuisse meam.

Aut in amore dolere uolo aut audire dolentem,

 siue meas lacrimas siue uidere tuas,

tecta superciliis si quando uerba remittis,

 aut tua cum digitis scripta silenda notas.

Odi ego quos numquam pungunt suspiria somnos :

 semper in irata pallidus esse uelim.